

Feria 4. Rationum Processio vadit ad has Ecclesias: S. Urbani, S. Cantiani, S. Juliane, S. Agidii S. Damiani, B. Mariæ Matris Domini, S. B. Antonii, (hoc duplici nomine tunc vocabatur Templum, nunc communitur dictum illo SANTO) S. Mariæ de Bethlem, S. Juliane, S. S. Profocimi (quia in Templo Divæ Justine jacet corpus ejusdem Sancti) S. Mariæ de Misericordia, S. Crucis, S. Agathe, S. Michaelis, S. Thomæ Martiris, S. Augustini, S. Joannis de Hospitali (nunc à navibus) demum revertuntur ad Ecclesiam Majorem; ubi cantatur Missa. Notet Lector magnitudinem laboris, & fervoris nostrorum Majorum in his publicis Litanis, & Rogationibus. Nunc nos pauci, & tepidi ad unam Ecclesiam tantum Litanias cantando, accedimus; eamque Cathedrali viciniorum.

Nona ex Mysticis causis, in consecranda Ecclesia, est Alphabetum Græcum, & Latinum, quod baculo Pastoralis scribitur ab Episcopo in cineribus per modum Crucis sparsis in pavimento Ecclesiæ, ut dictum est supra n. 54. *Quinta est.* Significat autem prædictum duplex Alphabetum conjunctionem utriusque populi, Judæici scilicet, & Gentilis in fide vera per Crucem Christi, tali modo factam, quod ille, qui erat dexter, (scilicet populus Judæicus) factus sit sinister; quique erat in capite, factus sit in cauda; & è converso populus gentilis, qui erat sinister, atque in cauda, factus sit dexter, & in capite; juxta id quod prædictum fuit in Deuteron. cap. 28. vers. 43. *Advena, qui tecum versatur in terra, ascendet super te, eritque sublimior. Tu autem descendes, & eris inferior. Ipse erit in caput, & tu eris in caudam.* Vel illa Scriptura, duplici Alphabeto formata, significat Dei præcepta in duabus tabulis scripta; & idè fit in cineribus sparsis in modum Crucis; nam ad Divina præcepta servanda, oportet æqualiter recordari tum mortem venturam, tum passionem Domini, testante S. Gregorio Magno; quod si passio Christi ad memoriam reducitur, nihil est, quod non æquo animo toleretur. *Et valde se sollicitus in bono opere, qui semper recogitat de extremo fine.* Sive impressio duplicis Alphabeti significat duas Ecclesias, Latinam, & Græcam, simul unitas, & concordas in fide; ita tamen, ut locus superior, qui est in parte dextera intrantibus Ecclesiam consecrandam, detur Ecclesiæ Latinæ, prout in cineribus extensis à parte dextera imprimatur Alphabetum Latinum, quod ascendit usque ad cornu Evangelii Altaris majoris, quia spectat ad Romanam Ecclesiam, & Apostolicam Sedem decidere, declarare, & terminare quas cumque difficultates, & dubia in materia fidei. cap. *Quoniam fidei.* 24. quest. 1. cap. *Nec licuit:* cap. *Nec multas.* dist. 12. nec non in materia morum, & Ecclesiasticæ disciplinæ. cap. *Si quis doctus* 25. q. 2. *Concil. Trid. sess. 25. de Reform. in Decret. De delictis ciborum.* (Sic ut probat Pignatellus tom. 1. consulti. 151. num. 27. & tom. 3. consulti. 77. num. 13.)

Tandem prædicta Alphabeta innuunt ipsum Templum, quod consecratur, dedicari Christo Domino, 67 qui mysticè demonstratur in Alphabeto, cujus caput, & finem se nominavit, dum dixit, *Ego sum Alpha,*

I	indicat	1	idest
V		5	
X		10	
L		50	
D		100	
C		500	
CC		1000	
CCC		5000	
CCCC		10000	
CCCCC		50000	
CCCCCC		100000	
CCCCCCC		500000	
CCCCCCCC		1000000	

Est tamen verum, quod I. & X. sicut postpositæ L. C. & M. argent numerum; ita si sint antepositæ, eundem diminuant. E. g. IV. dicit 4. IX. dicit 9. XL. dicit 40. XC. dicit nonaginta.

S. Omega, Principium, & Finis, Ego JESUS, ego radix David. Apoc. cap. 22. vers. 2. quorum verborum sensus est, quod Christus Dominus res inter se valde distantes, quales sunt Literæ Alpha, & Omega, unitas facit; & idè Ecclesiam terrenam unitæ cælesti, quemadmodum militentem cum triumphante; ut explicat S. Hieronymus lib. 1. advers. Jovinian. Sive etiam, quod sicut Alpha denotat personam habentem principatum, & supremam potestatem, à qua reliqui recipiunt facultatem & energiam operandi, ita ipse Christus in tali consecratione est prima, & efficiens causa, prout in quocumque genere sanctificationis, ut disserit Menochius in *Stoeris part. 2. Centur. 3. cap. 55.* ubi in fine ex Ambrosio Morales lib. 11. *Hist. cap. 41.* notat, quod tempore Arianorum fideles super suis sepulchris sculpebant Alpha, & Omega; ut ostenderent, se credere, & profiteri, Christum esse verum Deum cum Patre, & Spiritu Sancto, & subinde Principium, & Finis, per quem omnia facta sunt.

Sed dicit aliquis: Quare Christus in Apocalypsi non se appellavit Alpha, & Thau; nempe prima, & ultima littera Alphabeti Hebraici? Et quare Ecclesia in hac sacra functione utitur Alphabeto Græco, non autem Hebraico? Respondetur ad primum dubium, non appellari Christum Alpha, & Thau; sed Alpha, & Omega in Apocalypsi, quia eam S. Joannes Evangelista scripsit græco sermone, ut notat Menochius d. *Centur. 3. cap. 55. in princip.* Ad secundum autem responderi potest, quod Ecclesia Romana in dedicatione Templorum noluerit uti Alphabeto Hebraico, attenta repudiatione Synagoga, & abolitione rituum legalium, & cæremonialium ejusdem, qui in ipso Alphabeto Hebraico præcipue continebantur, sive demonstrabantur. Præterquamquod tanta est adhuc perfidia Hebræorum in Catholicam Religionem, & populos Christianos; ipique Judæi sunt adeo odiosi, & infames. cap. *Cum sit De Judæis.* & inimici Crucis Christi, cap. *Licet universis.* extrax. de Testib. ut non decuerit, eorum Alphabetum designari in ipsa Crucè; & uniri cum Alphabeto Latinæ Ecclesiæ, quam summo odio prosequuntur, ut exemplis, & historis pluribus eruditè comprobat idem Pignatellus tom. 4. consulti. 14. à num. 3. & seqq.

Alphabetorum mysteria concludamus, advertentes, quod Literæ utriusque Alphabeti Hebraici, & Græci sunt etiam numerales, & serviunt pro numeris; idcirco Alpha valet 1. Beta 2. Gamma 3. Delta 4. Eta 5. Theta 6. Zeta 7. Cheta 8. Theta 9. Iota 10. Quæ verò sequuntur Literæ multiplicunt numeros de decem in decem, ita ut Caput valeat 10. Lamed 30. & sic de cæteris. Idem venit dicendum de Literis Alphabeti Græci. At apud nos Latinos, est Valerius Probus quem allegat Calvus in *Proprinio Evangelico resol.* 56. asserat omnes Literas esse numerales, septem tantum faciunt numerum, nempe C. 100. D. 500. I. 1. L. 50. M. 1000. V. 5. X. 10. Est tamen verum, quod simul unitas, & diversimodè posite multiplicunt numeros usque ad millionem unum, ut ex sequenti formula.

Unus.
Quinquæ.
Decem.
Quinquaginta.
Centum.
Quingenta.
Mille.
Quinquæ millia.
Decem millia.
Quinquaginta millia.
Centum millia.
Quingenta millia.
Decies centena millia.

Deci-

Decima causa Mystica in cæremoniis hujus Sacræ functionis, sunt Cruces duodecim, quæ pinguntur, vel in marmoreo Lapide insculpuntur per parietes; denotant enim dominium acquisitum illius Templi Christo Domino; consuetum est enim apud Principes figere insignia sua in Civitatibus, quas sibi subditas faciunt; Crux autem est insigne, & Vexillum Christi; & de ea cantat Ecclesia *Vexilla Regis prodeunt.* Fiantque Cruces duodecim; quia totidem fuerunt Apostoli, qui ipsam Vexillum Crucis pertulerunt pro univerium orbem, & illum Christo subjugarunt.

Undecima, & ultima causa mystica est lumen, quod accenditur ante ipsas Cruces, & earum unctio cum Sacro Chrismate, & oleo catechumenorum; ad denotandas obligationes Ecclesiasticorum, qui inserviunt Ecclesiæ, & in ea, atque de ea vivunt; Debent enim habere lumen Sapientiæ. *Vos estis Lux Mundi.* Matth. 5. Odorem bonæ famæ. *Christi bonus odor sumus Deo in omni loco.* 1. Cor. 1. Et oleum devotionis internæ, & externæ, dum horas Canonicas recitant; dum sacrificant, Sacramentave administrant; aliaque functiones faciunt; juxta illud *Psal. 22. vers. 5.* *Impinguasti in oleo caput meum;* & illud *Psal. 44. vers. 8.* *Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem; propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.*

Corollarium addamus huic ponderosæ Decisioni, & sit; adeo esse Deo charas dedicationes, & consecrationes Ecclesiarum, ut hæ sæpè factæ fuerint miraculosè à cælitibus; quarum exempla XVII. doctissimus Bagatta refert, in *Admirand. orb. Christiani tom. 2. lib. 5. cap. 3. §. 2.* inter quæ est consecratio Templi S. Petri Londini in Anglia, facta ab Apostolorum Principe, Anno Christi 610. quam narrat etiam Emin. Card. Baronius ad dictum annum 610. num. 10. & ibid. Odoricus Rinaldi in epitome vulgaris, quos legisse Lectorem jurabit, & delectabit. His additur consecratio Cathedralis Ecclesiæ Avenionis facta à Christo Domino, quam S. Martha exorabat in honorem Deparæ adhuc viventis, ut probat P. Fantonus Carmelita in *Histor. Civit. Avenion. lib. 3. cap. 1. num. 10.*

DECISIO XLII.

ARGUMENTUM.

Quia non omnes Ecclesiæ possunt de facili consecrari, sed solent tantum benedicri; idè hic agitur de earum benedictione. Hujus vocis *Benedictionis* varis significationes, & divisiones. Definitio *Benedictionis* Ecclesiasticæ; & explicatio Rituum ejus, quorum præcipuum signum *Crucis*, de quo plures Theologicæ, & Historicæ eruditiones. De exorcismis in res inanimas, & animalia novicia. De Enfalmsis. De fructu benedictionum SS. Virorum. De benedictionibus Rosæ aureæ, & Agnorum Dei cererum, quas facit Papa. De aliis spectantibus ad Cardinales, ad Episcopos, ad Parochos, ad Abbates, & ad Prælatos Regulares. De Parentum in filios benedictione, & maledictione. Tandem de necessariis ad benedicendas Ecclesias, Oratoria, & Cæmeteria; de quibus omnibus questionibus plures Canonica, & Legales, utiles, & curiosæ.

SUMMARIUM.

- 1 Ecclesiæ cur non omnes consecrentur?
- 2 Benedictio, hæc vox habet quinque significaciones.
- 3 Benedictio non est danda populo in Hymn. Pange lingua, &c. Ad illa verba Sic & benedictio.

- 4 Ana filia Caleb quo nomine petierit dotem à Patre?
- 5 Agri dabantur in dotem filiabus Hebræis nubentibus in sua Tribu.
- 6 Abigail quam benedictionem exhibuerit Davidi?
- 7 Antiphrasis quid sit?
- 8 Maledictio, & blasphemia exprimebatur nomine benedictionis.
- 9 Benedicere idem est ac consecrare, & sanctificare.
- 10 Oleum pro consecrando Tabernaculo Mosaico quot, & quibus aromatis erat compositum?
- 11 Myrra electa quenam sit?
- 12 Cinnamomum Hebræorum quid esset?
- 13 Denarii valor apud Hebræos quantus erat?
- 14 Calamus aromaticus quid esset?
- 15 Cassia, seu Cassia odorifera quæ?
- 16 Aqua lustralis apud Hebræos ex quibus composita?
- 17 Cineres Vaccæ Rusæ exustæ distribuuntur singulis civitatibus Hebræorum.
- 18 Benedictionis Ecclesiasticæ definitio.
- 19 Alioquin nomen plura completur.
- 20 Christus fons, & auctor omnium benedictionum.
- 21 Christus concessit Ecclesiæ facultatem instituendi Sacramentalia.
- 22 Ritus in benedictionibus Ecclesiasticis tres. Et qui?
- 23 Crucis signum adhibendum in omni benedictione.
- 24 Christus quas res benedixit signo Crucis?
- 25 Crux à cruciatibus dicta; in primitiva Ecclesia maxime honorata.
- 26 Tiberius Imperator II. Crucis venerator reperit duos thesauros.
- 27 Crucis signum in terra non est sculpendum.
- 28 Benedictiones invalide, si sine Crucis signo fiant.
- 29 Athyppum, & Moschorum magna devotio erga Sanctam Crucem.
- 30 Signo Crucis aliter se signant Latini, aliter Græci.
- 31 Mysteria contexta in signo Crucis plura, & que?
- 32 Aquæ benedictæ, seu lustralis origo, & mysteria.
- 33 Aqua benedicta quomodo delect Venialia?
- 34 Aqua benedicta resuscitat mulierem mortuam.
- 35 Aspersio cum aqua benedicta si omitatur, irrita est benedictio.
- 36 Exorcismus quid sit?
- 37 Adjuratio quid, & quotuplex sit?
- 38 Locustæ, & animalia nociva quomodo exorcizantur?
- 39 Excommunicatio qualis in locustas?
- 40 Locustæ anno 1650. in agris Romanis.
- 41 Mures anno 1690. in isdem agris?
- 42 Laici non possunt exorcizare energumenos.
- 43 Exorcizare nemo potest sine licentia Episcopi.
- 44 Barberina Synodus Abbatia Farfensis laudata.
- 45 Episcopi debent examinare exorcismos compositos à personis particularibus.
- 46 Enfalmsis, & aliæ preces contra pestem, aut morbos superstitiosos.
- 47 Benedictiones aliæ Ecclesiasticæ, aliæ Laicæ. Et quis Minister ipsarum?
- 48 Abbatissæ an possint benedicere Moniales?
- 49 Benedictio an requirat presentiam rei, vel personæ benedicende?
- 50 Presentia rei benedicende quomodo intelligatur?
- 51 Benedictionum Ecclesiasticarum causa finalis duplex; & que?
- 52 Laica benedictio datur etiam absentibus.
- 53 Benedictionis fructus quis?
- 54 Piscis benedictus à S. Bernardo causat conversionem Canonici de illo edentis.
- 55 Cervisa benedicta à S. Bernardo bibita à Juvencibus, eos ad religionem convertit.
- 56 Ven. Vincentii Caraffæ colobii virtus.

57 S. Fran-



- 57. S. Francisci Xaverii benedictio faret altarum infanti.
- 58. Benedictionum divisiones plures.
- 59. Benedictiones alie Constitutive, alie Invocative.
- 60. Benedictiones alie sunt proprie Summi Pontificis, alie Cardinalium, alie Episcoporum, alie Sacerdotum, alie Abbatum, & alie Prælatorum Regularium.
- 61. Rosa aurea, & Agnorum Dei cereorum sunt Papales benedictiones.
- 62. Rosa aurea benedictionis mysterium, & origo.
- 63. Rosa aurea benedictio Venetiis Anno 1177. ab Alex. Tertio.
- 64. Rosa aurea Duæ Venetiarum donata anno 1690. ab Alex. Octavo.
- 65. Agnorum Dei cereorum benedictionis origo antiquissima.
- 66. Agnorum Dei à Papa benedictorum virtutes plurimæ.
- 67. Agni Dei tangi non possunt à laicis; non pingentis, non vendentis, sed summa reverentia tenentis.
- 68. Episcopi an possint benedicere Rosas aureas, & Agnos Dei cereos?
- 69. Cardinales quas benedictiones facere possint?
- 70. Cardinales Sacerdotes, vel tantum Diaconi quas benedictiones faciant?
- 71. Episcopatum benedictionum quatuor genera.
- 72. Benedictio Solemnis per verba Sit nomen Domini Benedictum, &c. an dari possit à simplici sacerdote?
- 73. Benedicere populum per vias spectat ad solum Episcopum.
- 74. Sacerdotales benedictiones sunt in triplici differentia. Et quæ?
- 75. Parochorum proprie benedictiones quæ sint?
- 76. Mulierum post partum benedictiones à quo dantur? Num à Regularibus?
- 77. Roma Sacrorum Rituum Magistra.
- 78. Abbates quas benedictiones facere possint? Num etiam pro rebus Ecclesiarum non suarum?
- 79. Regulares Prælati benedicunt sacram suppellectilem pro suis Ecclesiis, non pro alienis.
- 80. Laicorum benedictionum origo, & Virtus.
- 81. Maledictio parentum nociva filiis. Exempla.
- 82. Benedictio Ecclesie, Oratorii, & Cæmeterii quomodo fiat?
- 83. Oratoria privata an benedicenda?

**E**cclésiastica consuetudo fecit, ut Sacrosanctum Missæ Sacrificium non solum in Templis solemniter Deo consecratis celebraretur; sed etiam in Ecclesiis, & publicis Oratoriis simpliciter benedictis, ea ratione; quia, ut ait Riccius in addit. ad Lancellos. lib. 2. tit. 18. §. 1. ex Paludano, & Soto ibi citatis, Ecclesie consecratæ propter plures causas occurrentes sæpe polluuntur, & difficile possunt per Episcopos reconciliari; ideò, ne divinatorum celebratio retardetur, introductum est, ut simpliciter benedicantur, & sic in casu pollutionis, à simplici sacerdote de licentia Episcopi reconciliantur. Igitur cum supra egerimus de Consecratione Ecclesie; nunc de eius benedictione est differendum, & pro majori intelligentia dicendorum, examinabimus:

1. Quot significationes habeat hæc vox benedictio?
2. Quid sit benedictio?
3. Quot sint species benedictionis?
4. Quæ requirantur ad benedictionem Ecclesie? & Cæmeterii?

Quò ad primum: Hæc Vox benedictio vel sumitur tamquam duo verba, atque duæ dictiones, & significat loqui scienter, peritè, ornatè, & appositè, juxta illud Ciceronis De claris oratoribus, Philosophia mater est omnium bene dictorum, beneque factorum. Vel sumitur tamquam una dictio, & unica Vox:

& habet quinque precipuas significaciones. Primum enim significat aliquid laudare, vel commendare; ideò cum profitemur Deum benedicere, intendimus eius laudes, & prerogativas recitare: *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo;* dicebat Regius Pfalter. Psal. 33. vers. 1. & pueri in fornace ignis ardentis: *Benedicite omnia opera Domini Domino; laudate, & super exaltate eum in secula.* Dan. 3. 57. Similiter Ecclesia in Hymno Pange lingua gloriosi, quando canit in ultima Strophe: *Genitori, Genitrici, laus & iubilatio; Salus, honor, Virtus quoque sit & benedictio.* &c. intendit Sanctissimam Trinitatem laudare. Unde Magrius in Hierolex. Verb. benedictio, col. 3. acriter reprehendit clericos illos, qui in Processione cum SS. Eucharistia ad illa verba benedicunt populum; non intelligentes, quòd ipsa referuntur ad laudandam SS. Trinitatem, non ad populi benedictionem; & sic ridiculè pro SS. Trinitate populus benedicitur sub illis verbis. Secundò benedicere significat, bona, & prospera alicui precari, & sua ominari. Hinc senescente Isaac, vocatoque Esau filio suo majori, ei ita locutum testatur Scriptura Sacra: *Sume arma tua, pharetram, & arcum, & egredere foras, cumque venatu aliquid apprehenderit, fac mihi inde pulmentum, sicut velle me nosti, & affer, ut comedam, & benedicat tibi anima mea, antequam moriar,* Genes. 27. 3. Tertio benedictionem dare, significat dotem constituere; vel munera largiri. De dote habemus exemplum Axæ filie Caleb, nuptæ Othoniel, quæ ita dixit Patri suo: *Da mihi benedictionem. Terram australem, & arenam dediti mihi; iunge, & irriguam; quod Caleb fecit, ut legitur Jos. cap. 15. vers. 19.* ubi Tirinus notat, quòd filibus Hebræorum, nubentibus Viris de Tribu Ia dabantur agri in dotem; secus si extra Tribum nubebant; ut Num. cap. ult. De largitione munerum est exemplum Jacobi revertentis de domo Labani, & in itinere obviam habentis Esau fratrem suum, cui munera exhibuit, & ait: *Suscipe benedictionem, quam attuli tibi.* Genes. 33. 11. Et de Abigaille, quæ irascenti David obdenegata alimenta exercitui suo, obtulit comestibilia, vinum, & alia, & dixit: *Suscipe benedictionem hanc, quam attulit ancilla tua tibi Domino meo.* 1. Reg. 25. 27. Hinc quia benedictiones Dei in nos sunt munera gratiæ suæ vel spiritualia, vel temporalia; Deus dicitur nos benedicere, cum nobis bona concedit, ideòque ait Abrahamo: *Egredere de terra tua, &c. Faciamque te in gentem magnam, & benedicam tibi.* Genes. 22. 2. idè ditabo te multis divitiis, & de homine justo, Divina præcepta servantis, ait Psalmista: *Hic accipiet benedictionem à Domino, & misericordiam à Deo salutari suo.* Psal. 23. 5. Et Psalm. 24. 4. *Domine prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis; idè in gratis spiritualibus, & temporalibus, ut Tirinus ibi commentatur.* Quarto, benedicere per antiphrasim (Antiphrasis est figura, quæ continet locutionem contrariam, faciens, ut sermo per contraria intelligatur. Laurentius in Amalthea Onomastica Verb. Antiphrasis) aliquando significat maledicere, & blasphemare. Ita Tirinus in Idiostim. Hebræor. n. 31. Exemplum unum est illud patientissimi Jobi, cui graviter afflicto, dixit *Uxor sua: adhuc permanes in simplicitate tua? Benedictio Deo, & morere.* Job. 2. 9. Verbum enim illud *Benedic* vult dicere *Maledicere;* ut observant iam omnes interpretes. Aliud est exemplum, Nabothi quem ob denegatam vineæ relaxationem Jezabel calumniata de blasphemia in Deum, & Regem, justit lapidari his verbis: *Quia Naboth benedixit Deum, & Regem; educite eum, & lapidate; sicque moriatur;* prout ita mortuus fuit, ut legitur 3. Reg. 21. 10. ibi enim *Benedicere* ponitur antiphrasice pro *Maledicere.* Quintò tandem benedicere significat consecrare, & sanctificare, seu conferre aliquid esse Sacrum personæ, aut rei, quæ benedicuntur; ut fiant convenientes, & aptæ vel Sacramentis administrandis, vel Sacrificiis offe-

fferendis, aliisque actibus ad cultum Divinum, salutemque animarum spectantibus associandis, juxta illud Divi Pauli in Epist. 1. ad Timoth. cap. 4. vers. 5. *Omni creaturae sanctificetur per Verbum Dei, & Orationem;* quem locum ita explicat ex doctrina S. Chrysostomi, Augustini, & aliorum Tirinus his verbis: *Per verbum Dei, & orationem, idè per benedictionem.*

Ad hunc effectum benedicendi, idè Sanctificandi Tabernaculum, Altare, & alia Moysi ordinata pro cultu Religionis, mandavit eidem Dominus compositionem olei Sacri, de quo in Exod. 30. 23. in quo quatuor genera aromatum miscebantur, videlicet *Myrra electa, Cinnamomum, Calamus, & Cassia;* de quorum aromatum veris speciebus non levè est disputatio apud Interpretes, ut differit Menochius in *Storæ part. 6. Centur. 12. cap. 34.* ubi demonstrat *Myrram electam* illam fuisse, quam spontè planta distillat absque corticis incisione, quæ à Græcis vocatur *Stæbe*, idè *Syllaëtiæ*, & de ea agit Plinius lib. 12. cap. 16. Quò autem ad Cinnamomum non est illud, quo nos utimur, vulgò dicitur *Cannella*, sed erat quid prætiosum, & rarum, ut scribit Galenus lib. 7. de Antid. Dioscorides lib. 1. cap. 13. Theophrastus lib. 9. Hystor. Plantar. c. 5. & Plinius lib. 12. cap. 19. ubi asserit, quòd libra cinnamomi valebat mille denarios; denarius autem erat valor unius Julii Romani, seu unius libræ Venetæ; adèd ut, pretium unius libræ Cinnamomi erant mille libræ denariorum Venetorum, quæ factum summa Scurorum Romanorum centum. *Calamus* secundum veriorum opinionem erat arundo odorifera, quam Matthæolus in Comment. ad Dioscorid. lib. 1. cap. 17. vocat *Squinantum;* & reperitur penes montem Libanum, de eaque scribit Theophrastus d. lib. 9. cap. 7. & Plinius d. lib. 12. cap. 22. *Cassa* autem, seu *Cassia* non est illa medicinalis, quæ quotidie utimur, sed quædam exigua odorifera planta, de qua præcitat Auctor, Plinius lib. 12. cap. 26. Idorius lib. 17. cap. 8. Theophrastus lib. 9. cap. 5. Dioscorides lib. 1. cap. 12. & alii apud Menochium d. Centur. 12. cap. 34. ubi opinatur, eam esse nobisrum cinnamomum, videlicet *Cannellæ.* Igitur prædicta aromata jussit Deus cum oleo purissimo immisceri, ad benedicendum, & sanctificandum Tabernaculum, Arcam Testamenti, Mensam, in qua ponebantur panes propositionis, Candelabrum septem Lucernarum, & alia vasa, & utensilia cultui suo dedicata.

Eadem de causa docuit Dominus Moysen, & Aaronem ritum aquæ lustralis, faciende cum cineribus vitulæ, seu Vaccæ ruscæ immolatæ, ac combustæ extra castra; ad mundandos, & sanctificandos illos, qui quibusdam immunditiis legalibus erant inquinati; ut legitur in lib. Num. cap. 19. & de qua meminit Apollonius ad Hebr. cap. 8. vers. 13. his verbis: *Si enim sanguis hircorum, & taurorum, & cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad mundationem carnis; quanto magis, &c. Observat autem Tirinus Comment. in lib. Num. d. cap. 19. vers. 12. quòd Vaccæ hujus, seu Vitulæ ruscæ extra castra, seu Urbem exiret cineres distribuebantur quotannis feriebantur; cumque contingeret, aliquid ex contactu cada veris, vel mortuæ, vel alterius rei immundæ contaminari, patulo hujus cineris in aquam vivam immisso, statim aqua aspergebantur, & sic mundabatur. Myricum autem legere non detrectet. Itaque benedictio verè, & proprie significat sanctificare res, vel personas, super quibus profertur, seu immittitur benedictio, & in eis quædam qualitate spirituale inferere, & in hoc sensu intelligimus benedictionem, de qua hic agimus, circa novas Ecclesias, & Oratoria.*

Quò ad secundum: Benedictio, prout in hac quinta significatione sumitur, sic definitur: *Est actio Religiosa, per quam ritibus, & precibus ab Ecclesia ordi-*

natis, seu permixtis, à Ministro ad id deputato, res seu persone præsentis sanctificantur, ut divino cultui inserviant; vel à quocumque fidelis rebus, aut personis etiam absentibus ecclesiæ opus invocant, ut saluti tam corporari, quam anime proficiant. Percurrenda sunt breviter omnia hæc verba definitionis, à quorum explicatione tota natura, & essentia benedictionum cleebit.

Dicitur, quòd Benedictio sit Actio loco generis; comprehendit enim tam operationes spirituales, quam corporales, juxta vulgatam illam orationem, *Adiones nostras quæsumus Domine, &c.* & amplectitur tam actiones hominum, quàm brutorum, & tam communis hominibus tantum, quatenus sunt creaturæ rationales, & ab intellectu actiones procedunt, quàm etiam hominibus, & brutis, de quibus actionibus e-ruditè differit M. Aurelius Galvanus Ferrariensis, olim Præceptor meus, & in prima Sede Juris Civilis Professor in hac Universitate Patavina, in suis tractatibus de Usufructu cap. 5. à num. 3. & segg.

Dicitur Actio Religiosa; primò, quia omnis benedictio procedit à Christo Domino, qui est fons, auctor, & subiectum omnis benedictionis, juxta Divi Petri Apostolorum Principis verba ad fideles primitivæ Ecclesie: *Ad. 3. 26. Vobis primò Deus suscitavit Filium suum, missi cum benedictionem vobis;* à quo innumeræ benedictiones proveniunt in totam Ecclesiam Sponsam ejusdem Christi demonstrat Carolus Bouquin in *Solis Aquinatis Splendoribus* (seu in explicatione sequentiæ, *Lauda Sion Salvatorem*, lib. 4. text. 2. num. 222. & segg. Secundò, quia benedictio quatenus sanctificat res, vel personas, ut sint aptæ Divino cultui, (prout esse sumimus in præfati) spectat ad virtutem Religionis, ut plene probat Eminent. Card. de Lauræa in 3. Sent. tom. 2. De Virtutibus in genere, disp. 25. art. 2. num. 17. & num. 35. ubi in specie agit de Ecclesiæ, & Altarium adificatione, & benedictione pro cultu Divino exercendo.

Dicitur in definitione, *Per quam Ritibus, & precibus ab Ecclesia ordinatis;* quia cum Christus Dominus conceferit Ecclesie Sponsa suæ ob nimium amorem, quo eam prosequitur, ut ad quamdam similitudinem Sacramentorum ab eodem Christo institutorum, possit & ipsa instituire Sacramentalia, quibus fideles spiritualibus, & temporalibus beneficiis avertunt; ut ex doctrina Caramelis in *Theolog. Fundam. ment. num. 2047.* ostendimus in nostris Decifionibus anni 1687. de Sacramentis in genere, & de Sacramentalibus ad seculum. Quæst. Mensis Decembris. propterea ipsamet Ecclesia ad imitationem Divini Sponsi destinavit rem benedicendam diversarum specierum tamquam materiam, nempe aquam, cineres, candelas, palmas, comestibilia, aliaque hujusmodi; ac similiter Ritum, & preces tamquam formam, ut docet differit Quartus de benedictionibus in gener. tit. 1. sed. 3. dab. primo.

Porro Ritum præcipui ab Ecclesia in benedictionibus ordinati sunt tres: Signum Sanctæ Crucis, Asperisio aquæ benedictæ, & Exorcismi.

Quò ad Signum Sanctæ Crucis, hoc in quacumque benedictione adhibetur, quia, ut ait S. Leo Papa Serm. 8. de Passione, *Cruce est omnium Fonti benedictionum, omnium causa gratiarum.* Et omnia Sacramenta Crucis signo perficiuntur. cap. Numquid. 10. de Consecr. dist. 5. Atque hic Ritus, & mos benedicendi per signum Crucis ab ipso Christo introductus creditur; præsertim quando ascensus in cælum, elevatis manibus benedixit suis discipulis, quem postea imitatus sunt Apostoli, docentes hunc ritum in benedictionibus servari; ideòque ex Apostolica traditione in universa Ecclesia est receptus, ut testatur S. Basilius in lib. de Spiritu Sancto c. 37. Immo signum Crucis fuisse à Christo benedictum panem, & vinum ante consecrationem in ultima cena scribit Salmeron tom. 9. tract. 12. quem refert Barradas in Evangel. tom. 4. lib. 2. cap. 2. col. 6. his verbis: *Ex usu Ecclesie habetur*

Crucis



Cruce signatio super Hostiam, quam ex traditione Apostolica proveniens credimus: quam viderunt Apostoli primam à Christo observatam. Et in legg veteri indicatam; nam Sacrificium dicitur Tenupha, ad quatuor orbis partes motum, signum Crucis edebat; hoc ergo Signum Crucis, quo cætera omnia Sacramenta perficiuntur, benedixit Sacrificium suum Dominus. De prædico autem quadruplici motu, per quem in Sacrificio Tenupha legis antiquæ formabatur Signum Crucis, scripsimus supra Decif. XXVII. n. 38. Ritu V. & de eodem sacro signo Crucis à Christo in Apostolos, & ab Apostolis in Ecclesiam invento concors est SS. Patrum doctrina, quos allegant Suarez in 3. p. tom. 2. disp. 51. scilicet 2. Lorinus, & Cornelius à Lapide in Añ. Apost. cap. 1. vers. 9. S. Hieronymus, Carthusianus, & alii apud Menochium in Historia Sacra Añ. Apostolorum lib. 1. cap. 1. num. 6. Emin. Card. Baronius Anno 34. num. 23. & novissimè Quartus d. tract. 3. de Benedictionibus. tit. 1. scilicet 3. dub. 1. atque Magrius in Hierolex. Verb. Benedictio.

Hinc est, quod Crux (quæ à cruciatibus dicitur, 25 cap. Nulli 3. q. 1.) inextimabile nostræ Redemptionis instrumentum ad omnes nationes fuit semper in summa veneratione; & quamvis in primitiva Ecclesia non ubique exponeretur Christi Crucifixi imago pendens in Cruce, ne gentiles à conversione retraherentur, apud quos tunc reorum crucifixio ignominiosa erat; nihilominus ipsam Crucis signum pingebatur, & ex auro, & argento confectum, gemmisve ornatum adorabatur; ut probat Emin. Card. Baronius ad Annum 39. num. 9. & ad pedem Crucis mansuetus Agnus, Christi typus figurabatur, de quo cecinit S. Paulinus:

Sub Cruce sanguinea nivosus stat Christus in Agro. Tantaque erat veneratio erga hoc Sacrosanctum Signum, ut illud sculpi in terra non solum Sacri Canonis, sed etiam leges Imperatorum non permitterent; in cuius observantia præmium Tiberius Secundus Imperator duos thesauros meruit reperire, dum iussisset tres Cruces sculptas in terra auferri, 26 ne transcurrentium pedibus calcarentur, teste Emin. Card. Baronio ad Annum 182. n. 7. quam piam prohibitionem non solum in folio venerabile Crucis Signum à S. Ludovico Galliarum Rege, & à Pio Papa Quarto renovatam, notat idem Magrius in Verb. Crux; atque à S. Carolo Borromeo in Concil. Provinc. 3. & Provinc. 4. subdit Corius in eorum Epitome Verb. Cruces num. 2. & 3. Ipsaque Summa Crucis veneratio, quam professi semper sunt fideles, comprobatur ex his, quæ Tertullianus cap. 3. de Corona Militis scripta reliquit, videlicet, quod ipsi ad omnem aditum, atque exitum, ad vestitum, ad calcetatum, ad mensas, ad lavacra, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia frontem tenerent Crucis signaculo. Quod confirmat S. Augustinus tract. 128. in Joan. his verbis: Quid est signum Christi nisi Crux Christi? Quod signum nisi adobeatur, sive frontibus credentium, sive ipsi Aqua, ex qua regenerantur, sive Oleo, quo Christum unguunt, sive Sacrificio, quo aluntur; nihil horum ritè perficitur. Quæ quidem verba ultima clarè demonstrant invalidas, & nullas esse benedictiones illas, quæ herent omni Crucis signo, quod tamquam pars formæ essentialis in quacumque benedictione debet intervenire; & est ejusdem necessitatis cum precibus ab Ecclesia præscriptis, quarum mutilatio seu mutatio irritat benedictionem, ut docet Quartus in cod. tract. de Benedictionibus tit. 1. scilicet 3. dub. 1. & seqq. & Castaldus in Praxi Cærem. lib. 2. scilicet 11. cap. 1. num. 4. unde ed magis benedictionem irritat omfio hujus Sacri Ritus consistentis in formando signum Crucis super re benedicenda; quod quidem in quibuscumque benedictionibus Pontificalis, Missalis, ac Ritualis Romani indicitur, præscribitur, & ordinatur.

Tandem in veneratione signi Sanctæ Crucis inter alias nationes orbis Christiani, singulares sunt 29 Æthiopes; nam eam laici in collo appendam semper ferunt; Monachi verò, & alii Ecclesiastici illam in manu semper portant, prout etiam eorum Imperator, ut differit Magrius in Hierolex. dist. Verb. Crux; subdens maximam etiam esse erga sanctam Crucem Moscorum reverentiam, qui eam jugiter et collo habent pendentem; neque finit illam ad solum sculpi, aut depingi. Non est tamen 30 ignoranda differentia in munitione signi sanctæ Crucis, quom facit utraque Ecclesia, Latina, & Græca; nos enim Latini, dum nosmetipsos Signo Crucis signamus, signum manu dextera aperta à fronte ad pedus, deinde ab humero sinistro ad dexterum ducimus, denotantes transitum à miseris ad felicitatem; Græci autem tribus digitis unitis, pollice, indice, & medio (in symbolum Sanctissimæ Trinitatis) reliquis duobus digitis contractis se signant, à fronte quidem ad pedus; sed deinde à dextero humero ad sinistram, dicendo In nomine Patris, & Filii, & Sancti Spiritus; videlicet Sancti in humero dextero, & Spiritus in sinistro; ad significandum, prædicationem Salvatoris transitum fecisse ab Hebræis ad Gentiles, ut profecquitur Magrius d. verb. Crux, in fine.

Sacrosancta Mysteria tum Sanctissimæ Trinitatis, & ejus individue Unitatis, tum Dominicæ Incarnationis representati in his verbis, quæ profecimus, dum nosmet signo Crucis munimur, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, edocentur etiam pueri nostri à libello Doctrinæ Christianæ: ceterum non pigeat studiosum Lectorem audire Alphonsum Mendezium Lustanum Soc. Jesu, Patriarcham Æthiopiæ, eadem sacrosancta mysteria in signo Crucis declarantem in sua Theologia Catholica lib. 1. cap. 7. num. 5. his elegantissimis verbis: Cum dicentur, In nomine Patris, fratrem tangimus, Patrem Filii, & Spiritus Sancti principium esse innuimus. Cum pedus ad summum ventrem leviter premimus, addentes, & Filii; eternam Verbi à Patre ex utero ante luciferum generationem connotamus. Cum dextram utrique humero applicamus; eosque velut in amicitiam contrahimus, dicentes, & Spiritus Sancti; tertiam Personam, quæ essentialiter amor est, à Patre, & Filio processionem indicamus; eamque cum due aliæ Personæ simplex nomen habeant, composito vocabulo Spiritum Sanctum appellamus, quod in seipso ambarum concursum, inspirationemque collegit. Hæc de Ritu Signi sanctæ Crucis in benedictionibus adhibendo. De ejus autem fructu, virtute, & potentia inferius loquemur.

Quò ad asperionem rei, quæ benedicitur, cum Aqua lustrali, juxta Ritum Ecclesiæ antea benedicta; sciendum est, hunc Ritum esse antiquissimum; siquidem à D. Matthæo Apostolo institutum fuisse legitur in Constit. Apost. lib. 8. cap. 29. Et illud confirmavit Alexander Papa Primus Anno Christi 132. ut notat ibid. Emin. Card. Baronius n. 3. & legitur in cap. Aquam Sale, de Consecr. dist. 31 ubi ait: Aquam Sale conspersum populi benedicimus, ut ea cuncti aspersi sanctificentur, & purificentur. Quod refertur etiam à Bisto in Hierurgia, verb. Aqua, numer. 431. §. 3. Aqua enim benedicta cum mixtione Salis significat hypostaticam Christi unionem, quia Sal inustum est mysterium increatæ Sapientie; Aqua verò humanæ naturæ symbolum, quæ ut habetur 2. Reg. 14. 14. Ut aqua dilabitur. Idcirco utimur Aqua benedicta, dum signamus nosmetipsos, & alias res benedicimus, quia ejus plures sunt virtutes, & valet ad fugandos demones, & ad morbos pellendos; ut pluribus exemplis demonstrat Emin. Card. Baronius Anno 44. num. 60. & 88. Anno 37. num. 110. Anno 63. n. 164. Anno 132. num. 13. & 14. Anno 389. n. 108. Anno

Anno 537. n. 11. & seqq. Anno 855. n. 24. & seqq. Quos omnes annos ita collectos refert Magr. in Hierolex. verb. Aqua benedicta. col. 2. ubi movet questionem, An Aqua benedicta deleat peccata Venialia ex opere operantis, vel etiam ex opere operato? 33 Quam nos examinavimus, rationes, & Doctores pro utraque parte allegando in Decisionib. Anni 1687. de Sacramentis in genere, & Sacramentalibus Mensis Decembris casu primo; ubi studiosus recurat. Plura autem sanitate exemplis, virtute Aquæ benedictæ obtenta refert Henriquez in Summa lib. 3. cap. 13. & ibi Gloss. in fine, & Magrius ubi supra, nec non locustarum segetes devastantium expulsionem; quibus similia plurima narrat Daniel Bartolus in Asiæ Historia lib. 4. pag. 874. 875. lib. 6. pag. 379. & 410. & lib. 7. pag. 470. Imò S. Riocum discipulum S. Vivaloci Abbatis in Britannia minori, asperione Aquæ, per eundem S. Abbatem benedictæ, fuscitate à mortuis suam genitricem, summa adstantium cum admiratione scribit Hieronymus à Basilica Petri in suis Epemeter. sacris die 12. Februarii, pag. 264. In vita quoque Sanctæ Teresæ, ab eadem Sancta conscripta, cap. 31. ostenditur virtus Aquæ benedictæ in expellendis demoniis, qui ipsam Sanctam aliquando insultabant. Quapropter jure optimo asperione ejusdem Aquæ benedictæ jubet Ecclesia, ut res, quæ benedicendæ sunt, benedicantur; quæ asperio, si ommitteretur, inanem esse benedictionem asseverandum venit ex doctrina Suarez in 3. p. D. Th. tom. 3. disp. 15. scilicet 4. Quarti d. tit. 1. de Benedictionibus. scilicet 3. dub. 1. & Martii Columæ in Hydragiologia scilicet 2. c. 7. n. 8. per eundem Quartum allegati.

Quoad Exorcismos; eis etiam utitur Ecclesia in benedictionibus, præcipue dum benedicit Salem, ac etiam Aquam tam per annum, quam in Vigilia Epiphaniæ, & Sabbato Sancto in fonte baptismali. Exorcismus autem idem est ac Adjuratio, ut docet S. Thomas 2. 2. q. 90. art. 1. quem omnes Scholastici, & Summistæ sequuntur. Adjuratio vero inducio est alicujus persone ad faciendum, vel omitendum aliquid per invocationem Dei, vel alicujus rei Sacræ. Duplex pariter est Adjuratio, una deprecativa, altera imperativa. Prima fit cum submissione, & precibus ad Deum, & Sanctos, ornando, & rogando illos, ut aliquid bonum nobis concedant, vel aliquid malum advertant. Secunda fit imperando demoniis, vel creaturis irrationabilibus, ut deserant affligere populum fidelem, vel ei nocere; & idè secundum Hiderum De Eccles. Offic. cap. 20. Exorcismus est sermo increpationis contra immundum spiritum.

Sed dicit aliquis: Quomodo possunt exorcizari animalia irrationabilia, quæ non habent intellectum, ac hoc ut fugiant ab agris, ubi dilanant segetes, prout faciunt locustæ, vermes, mures, & alia hujusmodi, quæ etiam dicuntur aliquando excommunicari? Respondetur, ex doctrina ejusdem Angelici Doctores. 2. 2. q. 90. art. 3. in corp. quod Exorcismi in prædictas bestias non diriguntur directè ad ipsas, quia ipsæ debent connivere adjurationi, & fugere, avertendo malum; sed referuntur ad earum motum, quod dicitur malum, & perniciem agunt in aliquo agro; idcirco duplici modo exorcizantur; uno quidem modo per deprecationem ad Deum directè; ut dignetur avertere bestias illas, & damnum, quod ex eis timetur; Altero modo per compulsioem, & imperium contra Diabolum, à quo animalia, sive etiam nubes, & tempestates moventur, ut deserat eadem animalia, seu nubes moveat; imò eas, & illa fugare debeat, ne damnum populis inferant. Ita Valentia 2. 2. disp. 6. q. 3. punct. 2. ad fin. Sanchez in Summa Decal. lib. 2. cap. 42. n. 37. Volpi Resolut. 86. n. 9. & Quartus d. tit. 1. de Benedic. scilicet 3. dub. 1.

Hinc ex his patet, eadem animalia improprie 39 excommunicari (non sunt enim capacia censuræ Ecclesiæ De Sacrificio Missæ.

spasticæ; ut bene docet Suarez in 3. p. tom. 5. disp. 5. scilicet 1. in princ.) sed adjurati, ut virtute orationum, exorcismorum, & benedictionum Agrorum, quæ à Religiosis personis fit, tempore alicujus universalis devastationis, bestię illæ tamquam execratæ, & maledictæ in fugam se vertant, & cessent à damnis inferendis, prout factum fuisse in agro Romano Anno 1650. testatur Carolus Septala in Opere de Mysteriorum Sacrosancti Missæ Sacrificii c. 9. his italicis verbis pag. 58. Essendo io Prelato Referendario in Roma 40 l'Anno 1650. venni in quel contorno tante Cavalotte ed altre sorti d'animali, che divorando tutta la campagna, obligorno il Sommo Pontefice Innocentio X. vestito in Pontificale sopra la Loggia del Palazzo Quirinale, à benedire l'aria, e maledire dette bestie. Seguita l'asperione dell'Acqua Santa per tutte le quattro parti (cosa mirabile da me vista) tutti gli animali della sopradetta Campagna di Romaper molte miglia si vennero ad attuffare, ed anegare nel Tevere; à segno che per molte ore non si vedeva quasi l'Acqua del fiume, il che rese confusione anche alla dura ostinazione degli Eretici. Confimilem locustarum excidium evenisse tempore Stephani Papæ Sexti notat Magrius in Hierolex. verb. Aqua benedicta. Et de muribus eandem Romanam Campaneam devastantibus, quos Alexander Papa Octavus exorcismis fugavit anno 1690. famam retulisse recorder. Vanam autem, imò superflitam eam præcor esse, qua in consimilibus casibus bestię prædictæ citantur in iudicium, assignato isdem procuratore, & advocato; easdemque nonnullis iudicialis terminis servatis, sententiando, & banniendo, testatur DD. quos cumulant, & sequuntur Sanchez d. lib. 2. cap. 42. n. 39. & Volpi cit. resolut. 86. num. 11. Neque illud est omittendum circa exorcismos in Demones, à quibus vexantur Emergenes, quod licet in primitiva Ecclesia licitum esset etiam laicis adjurare Demones, & exorcizare Emergenos; ut differit Illustrissimus Sarnellius Episcopus Vigiliar in Speculo Clericali seculari tom. 1. lib. 4. tit. de Exorcismis, nihilominus munus hujusmodi per Concilia, & Decreta Pontificum ibidem allegata restrictum fuit ad solos clericos ordine Exorcistatus insignitos. Hodie verò ob abundantiam Sacerdotum, his tantummodò permittitur exercitium talis ministerii, ita tamen, ut prius obtineant expressam licentiam, & facultatem ab Episcopo, vetant enim Concilia Provincialia, Constitutiones Synodales ferè omnium Diocesum, atque Decreta Sacræ Congregationis, ne quis clericus, vel Sacerdos Sæcularis, aut Regularis audeat exercere Officium Exorcistæ sine permisso Ordinarii, ut legitur apud Nicollum in Flosculis verb. Exorcismus n. 1. Gavantium in Manuali verb. Exorcista n. 1. Constitutiones Justinianæ lib. 3. tit. 1. c. 130. §. 130. n. 3. & Synodum Diocesanam Abbatæ Farsen. sub Emin. & Reverendis. D. Carolo Cardinali Barberino Abbate, & Ordinario Anno 1686. in qua Part. 1. cap. 13. De Sacramento Ordinis sub num. 4. vers. Exorcistatus; ita decernitur: Exorcistatus tamen Officium à nomine etiam Regulari, in nulla, etiam propria Ecclesia, absque nostra specialis licentia sub graviſſimis penis exercetur. Hanc Synodum me allegare delectat, quia nullam aliam vidi Sacri Canonibus ea firmius innixam, & Decretis Sacræ Congregationis abundantius illa referant.

Sequitur in definitione benedictionis; Precibus ab Ecclesia ordinatis, seu permissis; quia multa preces sunt ab ipsa Ecclesia ordinatæ, extensæ, & statutz; quales sunt in Missali Romano pro benedictione Candelarum, Cinerum, Palmorum, & aliæ in ejus fine pro benedicenda Aqua, Suppellectilibus sacris, comestibilibus variarum specierum, domorum, & navium, quæ etiam leguntur in Rituali Romano. Verùm illæ preces referuntur, non quidem ab eadem Ecclesia immediate ordinatæ, sed tantum permittæ, quæ adinventæ sunt à piis perso-



personis, & impressæ in libellis privatis, præcipue pro adjuratione nubium, & grandinum; nec non pro exorcizandis energumenis, & hujus generis sunt licite impressæ per R. P. Franciscum Mariam Guaccium Ordinis S. Ambrosii ad Nensum Mediolani in suo Compendio Maleficarum; in quo post librum Tertium additi sunt exorcismi, videlicet preces, orationes, & adjurationes pro exorcizandis energumenis, ac curandis febricitantibus, & hædicuntur 45 permixtæ ab Ecclesiâ; nam Episcopi tenentur, de eis se informare, & eosdem exorcismos approbare, ut statutum esse in Concilio Mediolanensibus referunt Emin. Card. de Lauræa in Epitome Canonum verb. Exorcisma. Et Corius in Concil. Mediolanen. Epitome eod. verb. n. 18.

Cautè igitur est procedendum in his precibus per privatas personas compositis; in multis enim etsi verbis piis, & devotis, latere solent superstitiones, vanæ observantia, atque etiam pacta tacita cum Dæmone, ut plenè distinxit Delrius Magicar. Disquisit. lib. 3. part. poster. quest. 4. scilicet 7. & 8. ubi confutat scripta Mallocci Canonici Tigurini, qui tubatur plures formulas exorcismorum, & precum, etsi evidenter Superstitionem scaturientem; ideòque ibidem Delrius retorquet, & resolvit decem, & septem argumenta, quibus præfatus damnatus Auctor exorcismos suos licitos esse conatur demonstrare; & ipsè non dissimiles sunt Enfalini recitandi contra 46 pestem; (qualis est ille incipiens Crux Christi salva me, &c.) vel ad alios morbos sanandos, quibus nefas est uti, juxta doctrinam Mouræ in Opuscul. de Yucantat. scilicet 2. cap. 16. & Marchini in tract. de Peste Problem. 33. quos citat, & sequitur Diana Coordinatus tom. 3. tract. 2. resol. 6. & resol. 7. quæ sunt excerptæ ex antiquo part. 4. tract. 3. resol. 43. & resol. 62.

Verba in definitione sequentia sunt; *A ministro ad id deputato.* Benedictiones enim nisi à proprio Ministro sunt faciende. Ut autem cognoscat studiosus Lector, quis earum sit legitimus Minister? sciat principalem divisionem benedictionum, in Ecclesiasticas, & laicas. Ecclesiasticarum benedictionum Ministri sunt vel Papa, vel Episcopus, vel Sacerdos, ut infra mox demonstrabimus, & in his attendenda est Ecclesiæ ordinatio, & constitutio; sicut enim ad ipsam spectat ordinare Ecclesiasticas benedictiones, 47 pari modo ejusdem auctoritatis est determinare Ministrum, à quo perficiantur; adeò ut si alius ab illo præfatum illam benedictionem facere, peccet mortaliter, incurrat irregularitatem, & benedictio sit invalida. Suarez in 3. part. tom. 3. disp. 15. scilicet 3. & Quartus de Benedictionibus d. tit. 1. scilicet 4. dubit. 2. Laicas verò benedictiones dispensare possunt omnes fideles, qui præminant aliis vel gradu, ut Pater, Mater, & alii majores; vel sanctitate, quales sunt servi Dei, etsi laici, & in statu laicali viventes: hi enim omnes esse possunt ministri benedictionum, ut demonstrant acta Sanctorum, in quibus frequenter habentur exempla benedictionum, ab ipsis dispensatarum, prout de S. Hilarione, de S. Simone Stilita, de S. Birgitte, de S. Hildegarde, & aliis laicis viris, & feminis, quos recenset Gretserus de Benedictionibus. 48 lib. 1. cap. 8. & Quartus d. tit. 1. scilicet 4. dub. 8. ubi addit etiam Abbatissas esse legitimas ministras benedictionum in suis Monialibus; nec non Dubit. 9. & 10. in quibus advertit, in Ministro benedicente requiri attentionem, intentionem, conscientia puritatem, integram precum recitationem, & ritum ab Ecclesia ordinatorum observationem, ad ritè, & rectè ministerium illud explendum.

49 *Res, & persone presentis,* ait definitio; quia etsi laica benedictio impertiri possit etiam absentibus, quibus à Deo bona augurantur; Ecclesiastica tamen benedictio regulariter dari non potest, nisi rebus, vel personis presentibus, ut patet ex sensu orationum, & precum in Missali, vel Rituali Romano præscri-

ptarum, quæ supponunt res, aut personas benedicendas esse presentes, super quibus etiam cadunt ritus ordinati in ipso actu benedictionis, nempe vel unctio ut in calicibus, vel aspersio Aquæ benedictæ, vel insufflationes in alios rebus, vel personis, quæ si abentes forent, invalidè benedicerentur, ut bene ratiocinatur ipse Quartus cit. tit. 1. de Benedictionibus. 50 scilicet 2. dub. 4. ubi tamen advertit, præsentiam hanc esse intelligendam moraliter, & moralè modo, quæ in rebus inanimis verificatur, si adsint intra viginti passus, itaut aspersa Aqua benedicta super eas cadere possit; personæ verò benedicendæ si sint in loco, in quo Pontifex, vel Sacerdos stat, dum benedicit; vel penes dictum locum moraliter, ut qui non possunt ingredi Ecclesiam, stant in cæmeterio, vel in fenestris è regione positis, in quibus stantes dicerentur satisfacere præcepto de audienda Missa juxta opinionem Veteris Dianæ part. 10. tract. 14. resol. 49. translata in Coordinatum, & reposita tom. 2. tract. 3. resol. 18. Excipienda est tamen benedictio cum Indulgentia, quæ in articulo mortis, ut plurimum, mittitur à Summo Pontifice per nuntium, vel per epistolam; illa enim ex specialis privilegio, vel ob expressam Pontificis voluntatem confertur etiam in absentem.

*Sanctificatur, ut divino cultui inferriant dictum est* 51 in definitione; quia benedictiones inflaturæ sunt ab Ecclesiâ ob duplicem finem. Unus est Divinus Cultus, ad quem spectat major decencia, & ornatus in administrandis Sacramentis, & Sacrificio offerendo. Alter est utilitas fidelium. Igitur Sanctificatur, ut inferriant Divino Cultui, Tempia, Calices, Cruces, Suppellectilia, & alia Ecclesiastica ornamenta; pro quibus omnibus inflaturæ sunt ab Ecclesiâ suæ propriæ benedictiones. Bonacina de Sacrament. disp. 1. q. 7. punct. unico; & Quartus d. tit. 1. scilicet 5. dub. 1.

Tandem subditur in definitione: *Vel à quocumque fidele rebus, aut personis etiam absentibus celestis opis invocatur, ut saluti tam corpori, quam animæ proficiant:* in quibus verbis tria scitu digna continentur. Primum est benedictio laica, quæ etiam à personis nullo clericali charactere insignitis, si in eis vel titulus Sanctitatis, vel gradus majoritatis effulgeat, potest largiri, ut dictum est supra. Secundum est, quòd hæc laica benedictio etiam absentibus dari potest, tum per litteras, tum per nuntios, tum ore, tum corde. Tertium est, quòd utraq; benedictio est proficua tam animabus, quam corporibus fidelium; siquidem quòd animam, delentur venialia, remittuntur peccata, dantur gratiæ excitantes, seu prævenientes; & compescitur Dæmonum audacia, & vis in tentando; ut fufius docent S. Thomas 3. p. qu. 87. art. 3. Suarez in eadem 3. p. tom. 3. disp. 25. scilicet 4. Delrius Disquis. magicar. lib. 6. tit. 3. Marfilus Columna in Hydragologia scilicet 3. cap. 2. & Quartus d. tit. 1. scilicet 5. dubit. 2. & seqq. ubi disputat de prædictis omnibus effectibus; concludens, eos ex opere operantis, ex communiori opinione obtineri, & non semper omnes, & infallibiliter, sed per modum impetrationis, ex meritis ipsius Ecclesiæ.

Quò verò ad corpora proficiunt benedictiones, & res benedictæ, quia obinent sanitatem, ut precatur Ecclesiâ in benedicendis rebus comestibilibus, ac etiam bona temporalia, quando saluti æternæ non sunt nocitura; & ipsi fideles utuntur rebus benedictis debita cum veneratione, fide, ac spe in Deum, ut notat Suarez d. tom. 3. disp. 16. scilicet 4. & Quartus d. scilicet 5. dub. 7. qui quidem effectus sequentibus exemplis ex vitis Sanctorum depromptis confirmantur.

Apud Coloniam Agrippinam, quæ est insignis 54 Metropolis Germaniæ, fuit Magister quidam Alexander nomine, Canonicus, Doctoreque famosissimus in eadem Urbe; quo tempore Sanctus Bernardus Abbas Claravallis, jussu Eugenii Papæ Tertii, signis, & virtutibus innumeris coruscans ibidem Prin-

cipes

cipes, & populum hortabatur ad bellum sacrum pro recuperatione Terræ Sanctæ. Cùmque multi nobiles, & sapientes viri, hortationibus ejusdem Sancti Abbatis, Religionem Monasticam essent amplecti; ad illam excitatus fuit etiam prædictus Canonicus Alexander; sed ipse Juvenis, & secularis scientiæ typo turgens; divitiarum, quoque, & transitorii honoris insulsiadoratus, conversionem suam abhorrebat, & visionem in somnis habitam de habitu Monastico, & Abbatiali baculo, sibi à S. Bernardo in manibus posito, indignatus considerabat. Sequenti die beatissimus Abbas eximium Piscem sibi oblatum, *Piscem* appellatum, oculis in cælum elevatis benedixit, & eidem Canonico Alexandro misit in donum; quo accepto cùm vesceretur, Alexander ipse tanta interiore devotione motus fuit, & desiderio Religionis, ut statim ad Sanctum Abbatem accedens voluerit Monasticum habitum suscipere, & vitam claustraliter proficere, in qua egregiè, & sanctè vivens meruit Abbas fieri, & post mortem titulo Beati potiri. Ecce vis, & energia benedictionis servorum Dei. Ita in Speculo exempl. dist. 3. exempl. 14.

55 Consimilis est conversio plurimum nobilium Juvenum, qui mundanis delectationibus dediti accesserunt joeli causa ad Sanctum Abbatem Bernardum. Is enim, eis benigè exceptis, ad bibendum iussit cervisiam, quam prius benedixerat, propinari. Biberunt, & statim coeperunt fere mutis inflammare sermonibus, quia cor eorum ardens factum erat in Deum, quo inspirante, & benedictione servi Dei operante, conversi à vis malis spirituali militiæ illic dexteræ dederunt, ut legitur in eod. Speculo dist. 3. exempl. 26.

In Vita Ven. Vincentii Caratæ Societatis Jesu per Danieleum Bartoli conscripta (lib. 1. cap. 3. §. ultimum) legitur à Ducifia eius Matre dono datum fuisse ejusdem filii collobium sericum cuidam domus suæ famulo, qui tres gnatos habebat. Unus post alium exgnatis ipsis cepit induere collobium illud; & tanto desiderio Religionis accensus quilibet fuit, ut Patre etiam reluctante, domum, ac mundum deserentes singuli Religiosi facti sint.

Jucundum omnino est exemplum benedictionis S. 57 Francisci Xaverii, quod narrat idem Bartolus in *Acta Histor. part. 1. lib. 2.* dum enim Sanctus ille navigaret ad Indias, & unus ex vectoribus aleis ludens, totam pecuniam amisisset, itaut in desperationem traheretur, S. Xaverius miserans ejus, benedixit illi aleas, hortatus, ut iterum luderet, quod cùm fecisset, omnem amissam pecuniam recuperavit; hanc prosperitatem ex benedictione servi Dei consecutus. Habentur etiam prædicta exempla apud Hieronymum à Basilica Petri in *ejus Sacris Metamorphos. Centur. 1. centur. 96. 97. 98. 99. & 100.* & alia plura in Sacris Ephemeridibus, ubi vitæ Sanctorum ab eodem Auctore descriptæ sunt facili, sed devoto stylo.

58 Quò ad tertium: Si querimus, quomodo benedictionum species? Reperenda est antedicta divisio, quòd aliæ sunt benedictiones Ecclesiasticæ, & aliæ Laicales. Hæc sunt, quæ dantur etiam à personis laicis; illæ, quæ ab Ecclesiâ sunt ordinatæ, & institutæ, & à solis Ministris Ecclesiasticis conferuntur. Quartus de Benedictionibus d. tit. 1. scilicet 1. dub. 2. Passerinus de Pollut. Ecclesiæ disp. 9. cap. 38. n. 2. ubi laicales benedictiones appellat privatas; Ecclesiasticas verò nominat publicas, & eas reponendas ait inter Sacramentalia.

Rursus benedictiones dividuntur in constitutivas, 59 & invocativas, juxta celebrem distinctionem Cardinalis Cajetani, quem omnes DD. sequuntur in D. Thom. 2. 2. q. 88. art. 11. Constitutivæ benedictiones faciunt rem sacram; & ita eam mancipant Divino cultui, ut amplius abque peccato applicari non possit ad profanos usus, & tales sunt benedictiones Ecclesiarum, sacrarum Suppellectilium, Calicum, Corporalium, & similium. Invocativæ sunt, quæ tam

De Sacrificio Missæ.

per Ministros Ecclesiæ, quam per laicos personas sunt super rebus, vel personis, illis implorando Divinam opem, quamvis remaneant in suo statu laicali, & deservire possint profanis usibus, & tales sunt benedictiones domorum, navium, rerum comestibilium, ac filiorum. Quartus d. dub. 2. *Verf. Quarto.* Navarum in *Commentar. de Spoliis Clericis.* f. 18. n. 9. Layman lib. 5. tract. 9. cap. 13. & Passerinus d. disp. 9. cap. 38. n. 3.

Uterius benedictionum Constitutivarum aliæ sunt 60 propriæ Summi Pontificis, aliæ Cardinalium, aliæ Episcoporum, aliæ Sacerdotum, aliæ Abbatum & Prælatorum Regularium, de quibus breviter quæ essentialia sunt, explicabimus.

Ad Summum Pontificem omnes benedictiones spectant; in eo enim plenitudo Sanctitatis, & spiritualis Jurisdictionis residet; specialiter tamen duæ benedictiones dicuntur esse propriæ ipsius Papæ; 61 nempe *Benedictio Rosæ aureæ, nec non Agnorum Dei ex cera alba.* Aurea Rosa benedicitur annuatim à Papa Dominica Quarta Quadragesimæ, quæ appellatur *Dominica Letare,* & in qua DD. Cardinales induuntur vestibus rosaceis, quæ quidem Rosæ aureæ benedictio fit in signum Lætitiæ; & ad erigendam spem fidelium ad gaudia celestis Jerusalem, de quo eod. die commemoratio habetur in Missa, ad hoc ut fatigati quadragesimali jejuni non deficiant, sed expectatio- 62 ne æternæ vitæ vires fumant; ut distinxit Quartus de Benedict. tit. 2. *Præud. 1. & 2.* ubi ex pluribus demonstrat, Rosam esse symbolum Paradisi, & allegat Ven. Bedam *serm. 18. de Sandis,* afferentem, quod in Cælo Empireo neque Rosæ, neque Lilia deficiant; de qua quæstione videantur argumenta hinc inde per me deducta in *Opuscul. de Prima Mundi ætate serm. 2.* Hæc solemnitas benedicti Rosam auream à Papa, antiquissima est; erit enim in usu ante tempora Leonis Papæ Noni, qui regnavit anno ML. de quo Cencius ejus Camerarius scripsit, quòd per se non annuum impofterat super redditus Monasterii S. Crucis Lotaringiæ pro expensa hujus Rosæ, ut notat Magrius in *Hierolexic. verb. Dominica Letare.* Et de eadem solemnitate extat Sermo Innocentii Papæ Tertii, & Pii Papæ Secundi in eadem *Dominica Letare* juxta antiquum morem Romanorum Pontificum loquendi intra Missarum Solemniam ad Populum, qui Pontifices, completa Missa, & benedictione ejusdem 63 Rosæ aureæ, quæ fieri solebat in Ecclesiâ sanctæ Crucis in Jerusalem, tamquam celestis Jerusalem figura; eandem auream Rosam alicui Regi, seu Magnati mittebant. Hinc Alexander Papa Tertius anno 1177. celebravit hanc caeremoniam Venetiis in Ecclesiâ Sancti Marci; & ipsam Rosam auream dono dedit Serenissimo Benedicto Ziani Venetæ Reipublicæ tunc Ducis; teste Petro Blesensi in *serm. 15.* Emin. Card. Baronio add. *Annun. n. 118.* & Flavio *Blondo Decret. 2. lib. 6.* cujus exemplum 64 imitatus Alexander Papa VIII. Anno 1690. eadem Rosam auream à se benedictam Serenissimo Venetiarum Duces Franciscum Mauroconium donatum esse voluit.

Agnorum Dei ex cera alba purissima consecutorum est altera benedictio propria solius Summi Pontificis, quam facit anno primo sui Pontificatus in diebus octavæ Paschæ Resurrectionis Domini, & deinde anno quoque septimo, dum vivit; & hic Ritus est antiquissimus, adeò ut multi velint, suam originem esse coævam Cerei Paschalis benedictioni, cùm enim gentiles haberent in usu appendendi collo infantium bullas cereas cum superstitionis signis, ad evitandas fascinationes, teste Varrone lib. 6. de *Lingua Latina,* & Casalio de *Veterib. Sacris. Christ. ritib. c. 48.* à Christi fidelibus in primitiva Ecclesiâ mutata fuit superstitio in Religionem, & ex Cera Paschalis Cerei benedicti coeperunt bullas, seu formulas orbiculares cum imagine Agni significantis Christum

N 2

con-



consecrere, ad reparandos Dæmonum insultus tum in sanctibus, tum in propriis domibus; & adacta Ecclesiæ maiestate, & religionis pompa, per ministros Papæ ipsæ formulæ cereæ formatæ, & Agnorum Dei nomine insignitæ ab eodem Papa tantummodo, ut consecrarentur, & benedicerentur, consuetudo firmavit, de qua Alculnus de *Dignis offic. tit. de Sabato Sancto*. Amalaris Fortunatus de *Ecclesiastic. offic. lib. 1. cap. 17.* Onuphrius Panvinius in *Libello de Agni Dei*; quem commentatus est, & eruditione plurima exornavit Joseph Maria Suaresius Episcopus Vasonensis Anno 1676. qui Corollario primo Auctores plurimos refert, de antiquitate Agnorum Dei, & eorumdem solemnibus Pontificiæ benedictionis; circa quam videndus etiam Castaldus in *Praxis Cærimon. lib. 3. scilicet. 9. cap. 3.* ubi methodum, & formam, quibus ipsi Agni Cerei benedicuntur exarat; necnon Magrius in *Verb. Agnus Dei*, ubi col. 3. notat, S. Gregorium Magnum binos Dei Agnos à se benedictos, auro alligatos misisse Theodolindæ Uxori Regis Agilulphi, qui adhuc in Civitate Moguntiæ conservantur. Et Quartus de *Benedictionibus tit. 2. scilicet. 8. per totam*; ubi plenè differit de hac benedictione.

Virtutes horum Agnorum Dei per Papam consecratorum plures sunt, & valent præcipuè contra fulgur, & grandines; contra incendia ad extinguendum ignem, in naufragiis, in periculis parturientium mulierum; & ad repellendos alios Dæmonum, vel Dæmoniacorum astus, & insultus; iuxta sequentes verus, quos Urbanus Papa V. fertur misisse ad Imperatorem Græcum unà cum tribus Agnis Dei prædictis, ut notat Quartus d. scilicet. 8. *Prælu. 3. Magr. cod. verb. Agnus Dei col. 4.* & Stephanus Quaranta in *Summa Bullarum eod. Verb.*

*Balsamus, & munda cera, cum Chrismatis unda*  
*Consciunt Agnum: quod munus do tibi magnum.*  
*Fonte velut natum, per Myrica Sanctificatum*  
*Fulgura non urant Tignum, arceat, & omne malignum;*  
*Pæccatum frangit, ut Christi Sanguis, & angit.*  
*Pregnans servatur; simul & partus liberatur;*  
*Munera fert dignis: virtutem destruit ignis.*  
*Partus mundè de fluitibus eripit unde.*  
*Morte repentina servat, Satanaque ruina.*  
*Si quis honores eum, retinet super hoste trophæum.*  
*Pæque minor tantum, tota valet integra quantum.*  
*Agnus Dei miserere mi;*  
*Qui crimina tollis, miserere nobis.*

De his Agnis Dei hæc veniunt notanda ex Moralibus pro casibus conscientiæ. Primò, quòd tangi non possunt, nisi ab illis, qui constituti sunt in ordine Sacro, quia Sacro Chrismate sunt delibati, iuxta *text. in cap. Sacras. disp. 23.* Et idè neque Clerici, neque Moniales, neque laici possunt eos sine culpa attrahere. Azorius *tom. 1. lib. 9. cap. 9. qu. 3.* Bonacina in *primùm Decalogi Præceptum disp. 3. q. 1. pund. 4. n. 13.* Secundò prohibitum esse eisdem Agnos Dei Cereos à Papa benedictos minio pingere, vel alio colore notare sub pœna excommunicationis ex *Constit. 2. Gregorii XIII. incipiens. Omni certè studio Bonacina d. pund. 4. n. 12. Lexana in sum. tom. 3. verb. Agnus Dei n. 4.* & s. ubi advertunt, prædictam censuram nulli esse reservatam; & non esse peccatum, eisdem Agnos ab aliis forsitan miniatos, vel depictos retinere. Tertio, ipsos Agnos Cereos benedictos vendi non posse sub pœna Simonie; DD. *ubi supra*; & Giballinus de *Simonia quest. 12. Consequar. 4.* qui est licitum faciant venditionem ratione materiæ, vel expensarum itineris; tametsi ex de-

creto Cardinalis Vicarii Papæ sub nullo pretextu vendi possentantur Ricciullus *Lucubrat. Ecclesiastic. lib. 1. cap. 9. n. 8.* Magrius d. verbo *Agnus Dei in fine*. Quarto non esse sacrilegium fornicari ab habente Agnum Dei benedictum, etsi comittatur in eum aliqua irreverentia; prout etiam si donaretur Amasie, ex doctrina Dianæ *part. 1. traç. 7. resol. 18. & part. 3. traç. 4. res. 67.* quæ in coordinato sunt impressæ *tom. 1. tr. 7. res. 80. res. 81. & res. 165. §. 9.* & ex *Quarti d. tit. 2. de benedict. scilicet. 8. dub. 7.* Quintò ipsi Agni Cerei non sunt gessandi in annulo, neque projiciendi in agros, neque arboribus affigendi, tametsi suspendendi: sed tantummodo in casu incendii possunt in ignem projici; atque tempore tempestatis eorum cera adoleri ad suffumigationem in agris, arboribus, & vineis ad depellendos diabolicos tempestates; ut ex *Decretis S. Caroli colligit Corius in Epitome Conc. Med. verb. Agnus Dei, & Quartus d. scilicet. 8. dub. 6.*

Quòd si quis curiosus peteret, an Episcopi in suis Diocesis possint benedicere Rosas aureas, necnon Agnos Cereos, illoque consecrare, prout facit Romæ Summus Pontifex? Respondendum esse negativè; licet enim non desierit Canonice, & Moralitè, qui scripserint, Episcopum posse facere in sua Diocesi quicquid potest facere Papa in tota universali Ecclesia, nisi expressè prohibeatur, quos cumulat Diana *p. 3. traç. 6. res. 82. §. 3. & p. 7. tr. 10. res. 36.* quæ leguntur in *Coordinato tom. 3. traç. 2. res. 22. & res. 27.* & Barbofa de *Offic. & Poi. Episc. allegat. 33. num. 17.* ex quorum doctrina videretur dicendum, has benedictiones Rosæ aureæ, & agnorum Cereorum nullibi esse prohibitas, & per consequens licite fieri posse ab Episcopo, nihilominus contrarium est omnino tenendum; quia asserta doctrina est falsa, ut probat Fagnanus in *cap. Perniciosum §. num. 29. & seqq. De Offic. ordin. à quo non differunt Barbofa, & Diana locis citatis*, ubi alios allegant, talem facultatem in Episcopo non recognoscunt, ea ratione, quia Episcopi vocati sunt ab Ecclesia Romana in partem sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis *cap. Qui se scit, & cap. Decreto. 2. qu. 6.* Et satis est, ex solutu, vel consuetudine cognoscere esse aliquod reservatum soli Papæ, etiam ex tacita ejus voluntate, ne inferiores audeant, in eo seingere; inferioribus enim non licet sibi arrogare ea, quæ Papa vult, & intendit, ex solo voluntatis suæ placito sibi retinere: aliis non est inferior, sed par, & æqualis, ut differit Diana *Coordinatus d. res. 27. n. 4.* Idcirco cum antedictæ benedictiones Rosæ aureæ, & Agnorum Dei cereorum reperiantur positæ in solo ceremoniali Papæ, satis constat, ejus voluntatem esse, ut à nullo præter eum exerceantur; prout nunquam ab aliquo Episcopo in tot sæculis factæ fuerunt; & ita concludendum, ab aliis Episcopis eas fieri non posse, tamquam proprias solius Papæ, & ipsi reservatas, ut docet in puncto Quartus *d. traç. de Benedictionibus. tit. 2. scilicet. 2. dub. 1.*

Ad Eminentissimos S. R. E. Cardinales, si quæ- rimus, quæ benedictiones spectent, & quas ipsi dare, vel facere possint? distinguere oportet, an Cardinales sint Episcopi? Vel tantum Sacerdotes, vel solummodo Diaconi? In primo membro Cardinales Episcopi, absque dubio possunt facere omnes benedictiones, quæ propriæ sunt Episcoporum, constitutivas, & invocativas, etiam cum unctioe Sacra; quæ pendet ab ordine Episcopali, in cuius collatione manus Episcopi inunguntur (ut ait Innocent. III. in *cap. Unico. De Sacra Unct. ubi ostendatur, accipere potestatem benedicendi, & consecrandi*). Ideoque omnes benedictiones, quæ cum Sacra Unctioe fiunt, spectant ad Episcopum; & per consequens ad Eminentissimos Cardinales ordine Episcopali insignitos in eorum Titulis, & Ecclesiis. In secundo membro, si Cardinales, sunt tantum Sacerdotes, pote-

poterunt ex privilegio Apostolico annexo excellissimæ suæ dignitati eas benedictiones, facere etiam cum unctioe Sacra, quæ ex privilegio Apostolico concessæ sunt Abbatibus Sacerdotibus, habentibus jus exercendi Pontificalia, & deferendi Mitram, & baculum, de quibus Barbofa de *Offic. Episc. allegat. 3. num. 6.* & Gratian. *Discept. forens. cap. 845.* Ipsi enim Cardinales vallati sunt tribus illis requisitis, ideoque non debent esse deterioris conditionis, quam Abbates, & sic poterunt in suis Ecclesiis Titularibus, & commendatis campanas benedicere, calices, & patenas consecrare; præter alias benedictiones Sacrarum suppellectilium, & collationem primæ Tonstræ, & ordinum minorum, quos suis familiaribus, ex inveterata consuetudine conferunt. Barbofa *d. allegat. 3. num. 15.* ubi DD. cumulat. Et de *Jure Ecclesiastic. Univers. lib. 1. cap. 4. num. 40.* Principaliter autem Cardinales in Sacerdotio constituti possunt Solemne benedictionem more Episcoporum populo impartiri, cum verbis illis, *Sit nomen Domini benedictum, &c.* ut docent Hostiens. & Joan. Andr. in *cap. 1. de Supplen. negli. Prælat. Fagnanus in cap. de pro ditione. num. 42.* ubi allegat Extravagantem Clementis VII. quæ incipit: *Sandissimus in Christo Pater, &c. De Penitent. & Remission.* In tertio autem membro, si Cardinales sint tantummodo Diaconi, res videtur pati aliquam difficultatem, quia ad officium Diaconi non spectant benedictiones, attentione eorum origine, sed Sacerdoti sacrificanti assistere, Evangelium legere, Eucharistiam populo ministrare, & alia humiliora facere; non autem benedicere; ut expresse legitur in *Constitutione. Apostol. lib. 8. cap. 28.* & notat Glossa in *cap. Ecce. Verb. Benedicere. dist. 95.* ubi in specie de benedictione Solemni, quam dat Episcopus, non autem eo inferiores. Glossa in *cap. Abbates. Verb. Si Abbas. De Privileg. in 6.* Porro dicendum est, quòd Cardinales Diaconi omnes benedictiones dare, & facere possunt, quas faciunt Abbates privilegiati, iis exceptis, in quibus necessaria est Unctio Sacra; idcirco sacra suppellectilia benedicere, & Solemne benedictionem dare populo possunt, per verba, *Sit nomen Domini benedictum.* Ea ratione, quia hæc benedictionem potest impartiri, qui habet jura Episcopalia, vel quasi. ex *d. cap. Abbates, ubi DD. De Privileg. in 6.* prout & habent Diaconi Cardinales, & ita docent S. Antonius in *Summa 3. p. tit. 14. cap. 16. §. 9.* & pluribus citatis novissimè Jacobus Pignatellus *tom. 10. consult. 117. n. 53.* & seqq. ubi resolvit argumenta contraria, & num. 59. & 60. considerat, quòd jus benedicendi spectat etiam ad Officium Diaconi, qui benedicet Cereum Paschale; & ad Evangelium, & in horis Canonice dicit *Dominus Vobiscum*, quæ verba habent rationem salutationis, & benedictionis populi. Quæ stante Pignatelli, & DD. quos allegat opinione, non est attendendus Gavantus in *Manuali Verb. Cardinalis num. 19.* ubi scripserat, quòd si Cardinalis est tantum Diaconus non potest benedicere populum, nec rem aliquam, nec simpliciter, nec Solemniter; nisi specialem habeat à Papa facultatem, quia contrarium est omnino verum.

Ad Episcopos autem pertinent omnes benedictiones. Circa quos sciendum; illas esse in quadruplici differentia. Primæ sunt benedictiones rerum, quæ debent esse materia Sacramentorum, ut benedictio Chrismatis, & Olei infirmorum, & hæc fieri non possunt, nisi ab Episcopis. Quartus *d. tit. 1. de Benedictionibus scilicet. 4. dub. 5. in princ. Barbofa alleg. 30. n. 6.* & Jordanus *tom. 1. lib. 3. tit. 2. n. 6. 10.* quicquid dicit in contrarium Cajetanus *ibi allegatus*. Secundæ sunt illæ, in quibus intervenit Sacra Unctio, videlicet benedictiones Altarium, Campanarum, & Calicium; & hæc, licet sint propriæ Episcoporum, possunt ex Apostolico Privilegio fieri etiam ab inferioribus, quales sunt Abbates, Tamburin. de *Jure Sacrificii Missæ.*

Tertriæ sunt, in quibus Unctio Sacra non adhibetur, sed verbales vocantur, & ex his illæ, quæ concernunt necessarias Sacra Missæ, ut benedictiones Corporaliu, & Sacerdotalium indumentorum pertinent ad Episcopum; etiam ad ejus instantiam Sacra Rituum Congregatio eas delegat Sacerdotibus in aliqua Ecclesiastica dignitate constitutis, ut servatur in hac Diocesi Patavina, non tamen indefinitè, sed ad triennium, vel quinquennium. Quarto lococitè benedictio Solemnis in Missa per verba supra repetita, *Sit nomen Domini benedictum, &c.* & hæc est quidem sic propria Episcopi, ut si simplex Sacerdos eas uteretur, incurreret in Irregularitate. Glossa in *cap. Ministrare. 26. qu. 6.* Masolus de *Irregularitat. lib. 4. cap. 13. num. 4.* Nihilominus ex Privilegio Papæ est delegabilis etiam inferioribus Episcopo, ut diximus supra de Cardinali Diacono, immò ex consuetudine est præscriptibilis per simplices Sacerdotes in Ecclesia Patavina. *consult. 117. n. 62.* ubi notat in Ecclesia Patavina Parochos uti ea Solemni benedictione; prout fit in Ecclesia Græca, in qua nullum est discrimen inter Solemne benedictionem Episcoporum, & simplicium Sacerdotum ex traditis per Iaacum Hamberdum in *Pont. Eccl. Græcæ part. 11. Liturg. Ord. de Rit. benedictionis.*

Demum: Alia est benedictio propria Episcopi; illa scilicet, quam manu aperta dat populus genuflexus, dum ipse Episcopus ambulat, vel equitat per suam Civitatem, vel Diocesim, ut in *Ceremoniali Episc. lib. 2. cap. 5. in princ.* de qua scribit Barbofa *alleg. 27. à n. 63.* & Jordanus *d. tom. 1. lib. 5. tit. 15. à n. 39.* & seqq. ubi notat hæc benedictionem esse ita propriam Episcopi, ut si quis abique ejus licentia eam daret, esset puniendus, ac tantæ virtutis pariter esse, ut per se deleantur peccata venialia, ex doctrina S. Thomæ *2. 2. qu. 87. art. 3.* Card. Toleti *lib. 3. c. 3. n. 9.* de qua scriptum est in *Decisionib. Anni 1687. in Quest. Mensis Decembris.*

Ad Sacerdotes spectant alia benedictiones in quibus Sacra unctio non adhibetur, de quibus in Missali Romano, & Rituali, sed cum triplici distinctione. Aliæ enim fieri non possunt, nisi ab habentibus delegatam facultatem à Sede Apostolica, & ejus nomine, à Sacra Rituum Congregatione, quæ illam concedit ad tempus limitatum Sacerdotibus in aliqua dignitate Ecclesiastica constitutis, quales sunt Præpositi, Archiepiscopi, & Massarius Congregationis Parochorum; & hæc facultas datur pro benedicendis Sacerdotalibus indumentis, Mappis Altarium, Corporalibus, Tabernaculis, Pixide pro aservanda SS. Eucharistia, Cruce, atque Imaginibus Christi, Deiparæ, & Sanctorum. Gavantus in *Rubric. Missali part. 4. tit. 19. n. 53.* Vel cum facultate delegata simplici Sacerdoti per ipsum Episcopum, & sunt benedictiones primarij Lapidis pro edificanda Ecclesia, pro benedicenda ipsa pariter Ecclesia jam edificata, nec non Cæmeterio, ac etiam pro reconsecrandis Ecclesia (quæ prius non fuisset consecrata) & cæmeterio in pollutionis casibus, de quibus Rituale Romanum *sub tit. de Benediction.*

Secundæ generis benedictiones ad Sacerdotes spectantes sunt illæ, quæ sunt propriæ Parochorum, & fieri non possunt, nisi ab exercentibus Curam animarum. Hujusmodi esse censentur benedictiones Sponsorum, Fontis baptismalis in Sabbato Sancto; atque domorum in eadem die. Reliquæ omnes, cancellarum, cinerum, palmarum, ovorum, aliorum, quæ comestibilia etiam à Sacerdotibus non Parochis fieri possunt, ad quem effectum earum formulæ, & preces positæ sunt in Missali Romano; & hinc processit illa Regula, quam approbant Gavantus in *Rubric. Missal. d. part. 4. tit. 19. num. 1.* & num. 20. & Pignatellus *tom. 6. consult. 76. num. 11.* quòd Be-



nedictiones notatæ in Missali sunt communes cuiumque Sacerdoti, etiam Regularibus in suis Ecclesiis; illæ verò, quæ ponuntur in Rituali Romano censentur reservatæ Curatis animarum.

Hinc non levis est disputata inter Doctores; an benedictio Mulierum post partum fieri possit à solo Parocho, vel etiam à Regularibus? Et ad horum favorem respondisse Sacram Congregationem die 2. Julii 1620. asserit Novarius in Summa Bullarum part. 2. Commentar. 51. num. 17. ea ratione, quia, etsi collocata existat talis benedictio in Rituali Romano, statim post Ritu celebrandi Matrimonium; nihilominus Ritale in rubrica huius benedictionis non nominat Parochum, prout paulo ante fecit in Rubrica benedictionis nuptiarum; sed nominat simpliciter Sacerdotem, dicens, Si qua puerpera, &c. petierit à Sacerdote benedictionem. Cæterum contra Regulatæ scripti Genuensis in Praxi Curie Archiepiscop. Neapol. cap. 72. num. 13. cum enim puerpera pro receptione illius benedictionis solita sit offerre candelam, ad imitationem Deiparæ, quæ obtulit parturiturum, aut duos pullos colubarum, & omnis oblatio Parochianorum de Jure spectat ad Parochum, ad ipsum pariter debet pertinere benedictio puerperæ privative, quod ad alios quoscumque, etiam Regulatæ; ut etiam docet Pignatellus tom. 5. consult. 77. per totam, addens sequentes rationes, quia hæc benedictio est accessoria benedictionis sponsozum; fit cum cotta, & stola, quæ est signum jurisdictionis, quam Regulatæ exercere non possunt, cum eam non habeant in exteris mulieribus; à quarum immo consortio, & colloquio eos alienos esse convenit, ut pluribus Sanctorum exemplis ibidem Pignatellus demonstrat. Ulterius, quia sic servatur Romæ, quæ est Sacrorum Rituum Magistra. Rota coram Merlino Decif. 657. num. 21. & Decif. 745. num. 12. Quibus alitque pluribus congruentibus per eundem Pignatellum allegatis, tandem concludit, Sacram Concilii Congregationem re semel, ac iterum maturè discussa in Una Antwerpensi die 18. Novembris 1662. censuisse, ac declarasse, Non licere Regularibus in propriis Ecclesiis mulieres post partum ad Purificationem admittere. Neque obstat contraria declaratio ejusdem Sacræ Congregationis de anno 1620. 2. Julii, apud Novarium, quia pœcessit ad favorem Regularium Civitatis Bononiæ, qui habebant profectus consuetudinem, & legitimam præscriptionem benedictionis mulieribus post partum, qua cessante, talis benedictio à proprio Parocho est faciendæ; ut diximus etiam supra Decif. XXVII. n. 80.

Ad Abbates autem consecrationis munere insignitos, vel Privilegio Apostolico vallatos, spectant omnes benedictiones, tam cum Sacra unctione, quam sine ipsa, & ideò possunt calices, patenas, & campanas benedicere, nec non Sacerdotalia Indumenta; sed pro usu, & servitio Ecclesiarum sibi subditarum; non autem ad petitionem alienorum, ut supra plene probavimus circa consecrationem Altarium Decif. XIII. à num. 21. & seqq. ubi plures rationes adduximus, Decreta Sacræ Congregationis, & Doctores ita tenentes, quibus addendi sunt Lezana in Sum. tom. 3. Verb. Benedictio num. 7. Gavantus in Rubr. Missalis part. 4. tit. 19. n. 22. & in Manuale Episcoporum Verb. Abbas num. 29. & 30. Nicolius in Flocculis eod. Verb. Abbas n. 5. & Lantica in Theatro Regul. Verb. Benedictio, num. 2. ubi addit, cautè esse legendos Auctores, qui extendunt hanc facultatem ad paramenta, & res aliarum Ecclesiarum, quales sunt Ascianus Tamburinus de Jure Abbat. disp. 23. q. 13. tom. 1. & Quartus de Benedictionib. d. tit. 1. sect. 4. dubit. 6. qui manifestè falluntur.

Ad Prælatos tandem Religionum mendicantium spectant ex Apostolicis Privilegiis benedictiones omnes, in quibus Sacrum Christma non adhibetur, & idcirco possunt benedicere Corporalia, Vestes Sacerdota-

les, & Ecclesiastica paramenta, ut docent communiter omnes Moralistæ; Quartus d. sect. 4. dub. 7. Diana Coordinatus tom. 7. tract. 1. resol. 24. quæ de sumpta est ex veteri, in quo jacebat, part. 3. tract. 2. resol. 40. & Lezana d. tom. 3. Verb. Benedictio n. 8. ubi ita scribit: hæc porò facultas Prælatorum Regularium benedicens ornamenta Ecclesiastica, seu alia, in quibus Christma non intervenit, intelligi debet ad proprios usus, & pro ipsorum Ecclesiis, non pro aliis. Et refert declarationem Sac. Congregationis diei 13. Mensis Martii 1632. de qua etiam Barboia in Decif. Apostol. Verb. Abbas n. 1. & Novarius in Lucerna Regular. V. Benedicere n. 3. Quæ omnia hucusque dicta deserviunt pro intelligentia benedictionum Ecclesiasticarum, sive sint constitutivæ, sive invocativæ tantum, quæ sunt à supradictis Ecclesiasticis personis.

Laicales autem benedictiones, quæ solummodo invocativæ sunt, sunt, ut plurimum, à Parentibus super filios suos, sive naturales, sive spirituales, & harum origo licet in Scriptura Sacra videatur incipere à Noe post diluvium, quando data maledictio Cham filio irreverenti, benedixit Semo, & Japhetho; nihilominus credendum est, ipsum primum Parentem Adam solum fuisse benedicere filios, & nepotes suos, ut dicitur Quartus de Benedictionibus tit. 3. sect. 17. Praelud. 1. quem postea sequuti Patriarchæ consueverunt benedicere suos filios, cum essent morturi, ut legitur de Isaac Genes. 17. & de Jacob Genes. 48. & 49. & sic de cæteris; forma autem benedicens filios non est certis verbis præscripta, sed pendet à pietate Parentum; qui in lege Evangelica, unà cum verbis invocantibus bona spiritualia, & temporalia filiis suis, debent adhibere signum Crucis, & illam formare manu super illos, ut advertit Quartus d. Praelud. 1. quia Crucis signum est instrumentum cuiusmodi boni, teste Tertulliano de Baptismo cap. 8. Fructuosam autem esse filiis Parentum benedictionem asserit Ecclesiastic. cap. 3. vers. 11. dicens: Benedictio Patris firmat domos: id est stabilis familias, ut Tirinus commentatur; & e contra Maledictio Matris eradicat fundamenta, cujus horrendum exemplum narrat S. Augustinus lib. 22. de Civit. Dei cap. 8. quod refert Menochius in sua Economica Christiana lib. 7. cap. 14. num. 5. ubi addit alios duos casus, unum Matris maledicentis filium ingratum, & obsecrantis, ut occisus sibi domum posset deferri; alterum Patris à filio percussus, & dicens; utinam manus illa tibi abscindatur, & tu in furca suspendaris; utrumque autem successit intra tres dies; siquidem duo filii prædicti bibendo, & ludendo simul in caupona, ad rixam provocati maledictus à Patre occidit maledictum à Matre, quem ita vulneribus confossum gens ad ipsam portavit; homicidæ autem capto à satellitibus manus fuit obruncata, & deinde ob homicidium ipsemet in furca suspensus. Hinc S. Caterina Senensis adhuc puerula Matri suæ quodam die maledicens, sapienter dixit: Mater mea noli maledicere; quòd si ego tibi inobediens sum, verberare me ipsam non desinas. Ita Frigerius in Vita ejusdem Sanctæ. lib. 1. cap. 4. num. 3.

Quo ad ultimum: Si querimus, quæ necessaria sint ad benedictionem novæ Ecclesie, vel Cœmeterii? Respondetur, delegandum esse licentiam ab Episcopo simplici Sacerdoti eam benedicturo: deinde servandas esse formulas, & preces præscriptas in Rituali Romano, quæ consistunt, in ablutione parietum exteriorum, & interiorum cum aqua benedicta, & aspergillo ex hyssopo; recitatione Litaniarum, & Psalmorum, ac Orationum prout in eodem Rituali; de quibus Cæremonialis agit Castaldus in Praxi lib. 2. sect. 11. cap. 6. ubi num. 4. advertit unum, quod non videt observari; videlicet, etiam Oratoria privata esse benedicenda juxta eandem formam præscriptam in Rituali Romano, etsi cum minori solemnitate exequendam, quod notent Episcopi, qui viso Indulto Apostolico, conceden-

cedente alicui nobili personæ usum oratorii privati pro Sacrificio Missæ, & visitato ipso Oratorio quo ad decentiam loci, & ornamenta, statim relaxant mandatum de celebranda Missa, nihil dicentes de necessitate præcedenti benedictione.

DECISIO XLIII.

ARGUMENTUM.

Agitur de Ornamentis Ecclesiarum, & Altarium, quæ sunt Ecclesiastica, Regalia, Moralia, & Legalia. Prima, nempe Ecclesiastica sunt Mappa, Pallia, Crux, Candelabra, Lucernæ, & alia prout in Rubrica Missalis, circa quæ variæ difficultates solvuntur, & eruditiones dantur, præcipue circa Lucernas perpetuas, & inextinguibiles antiquorum. Regalia ornamenta sunt donationes Principum. De his Historiæ plures, illaque donationis Constantini Imperatoris. Moralia sunt devotio, & reverentia plebis in Ecclesia. De his multa citata digna; & de Diaconissarum officio. Legalia tandem ornamenta Immunitatis loci Sacri. Agitur de Jure Asyli pro confugientibus ad Ecclesiam juxta Bullam Gregorii XIV.

SUMMARIUM.

- 1 Ornamenta Ecclesia, & Altaris necessaria ad Sacrificium.
- 2 Hæretici Illuminati impugnant ornamenta Ecclesie, & Altarium.
- 3 Ornamenta Ecclesiastica pro Ecclesiis, & Altaribus quæ?
- 4 Tobales tres lineæ super Altare, & an ex Canape? & benedictio?
- 5 Pallium ad Altare coloris officio diei convenientis, & sine lignea coronide.
- 6 Crux in medio Altaris poni debet pro Missa, cum imagine Crucifixi, vel sue? Et an si in Icone sit dicta Imago? Vel si altare majus, & in eo recondita Eucharistia?
- 7 Candelabra cum candelis cereis accensis.
- 8 Candelæ accense in Missa quid significant? Earum numerus? Materia?
- 9 Candelaborum mysticus sensus.
- 10 Tabella orationum secretarum ad pedem Crucis.
- 11 Cusinus in Altari, & ejus significatio.
- 12 Leiorile pro missali, loco cusini. Ejus nomina, & mysterium.
- 13 Ampullarum cum vino, & aqua pro Sacrificio locus.
- 14 Intortitia pro elevatione Eucharistie.
- 15 Campanula, seu Turrinabulum.
- 16 Tabula lignea an pulsanda feria 6. in Parasceve in elevatione Eucharistie?
- 17 Ornamenta Ecclesiastica non simpliciter, sed secundum quid necessaria pro Sacrificio.
- 18 Ciboria ad Altaria quid sint?
- 19 Altaria marmorea moderna descripta.
- 20 Pistorum ornanda Ecclesie, & Altaria. Testimonia antiquorum.
- 21 Iconoclaste contra sacras Imagines.
- 22 Pistorum eximiorum Catalogus apud Masinum.
- 23 Vela, & Tapetes pro ornatu Ecclesiarum.
- 24 Velatum Altare tempore Missæ, Cur, & quomodo?
- 25 Velum Altaris retraheretur ab Offertorio usque ad Communionem.
- 26 Dicitio verbi antecedenitis, non replicata, sed omissa in sequenti.
- 27 Lucernæ, ac Lampadibus ornanda sunt Ecclesie.
- 28 Lampadarum forma diversa, & varia nomina. De Sacrificio Missæ.

- 29 Cicindelia, unde dicta?
- 30 Legata pia pro oleo Lampadarum Ecclesie.
- 31 Lucerne antiquorum æternæ, & inextinguibiles.
- 32 Lucerne æternæ quomodo ferent ab antiquis?
- 33 Floribus ornanda Altaria.
- 34 Fronde festiva ad Officia Ecclesiarum cur? & quando ceperint?
- 35 Ornamenta Regalia quænam sint in Ecclesiis?
- 36 Roma cum aliis Civitatibus donata Summo Pontifici per Constantinum.
- 37 Matibidis Comitisse donatio Ecclesie Romanæ.
- 38 S. Ine Regis Britannici liberalitas erga Ecclesiam Romanam.
- 39 Emenrudis pie Matrone testamentum, & legata pia.
- 40 Pontificum Romanorum donationes Ecclesiis Romanæ.
- 41 Ruge in Ecclesiis quid essent antiquitatis?
- 42 Patavini Cleri divitiæ, & opulentia.
- 43 Legatum pium est quod relinquatur Ecclesie.
- 44 Donatio facta Ecclesie non requirit solemnitatem.
- 45 Dagobertus Rex Francorum liberatus à penis Purgatorii ob ejus liberalitatem erga Ecclesias.
- 46 Ornamenta Moralia in Ecclesiis devotio populorum. Devotionis regule.
- 47 Mulieres in Ecclesiis segregatæ à Viris, earumque introitus per divorsam januam.
- 48 Diaconisse olim quænam essent? Et qualia earum officia?
- 49 Diaconissarum officium Mediolani adhuc durat.
- 50 Egenti prohibiti querere elemosinam per Ecclesias.
- 51 Venetorum pietas, & devotio in audienda Missa.
- 52 Ludi theatralis, Comediæ prohibita in Ecclesiis.
- 53 Altari vicinus populus stare non deberet in Missa.
- 54 Mulier à Demone ditata, ut irreverentias cauferet in Ecclesiis.
- 55 Diabolus scribit peccata irreverentia commissa in Ecclesiis.
- 56 Ornamenta Legalia Ecclesiarum quæ?
- 57 Immunitas loci Sacri quò ad res, & personas ad ipsum confugientes.
- 58 Asylum apud Hebræos Templum, & sex civitates refugii.
- 59 Asyla apud Gentiles.
- 60 Immunitas loci Sacri quo Jure introducta?
- 61 Delicta, quæ non gaudent Immunitate loci Sacri.
- 62 Immunitatis violata loci Sacri puniitio cœlestis.

Quia satis non est, ad Sacrosanctum Missæ Sacrificium digne celebrandum, consecratio, seu benedictio Ecclesie, vel Altaris, nam præter illam requiruntur etiam convenientia ejusdem Ecclesie, Altarisque ornamenta, quæ impij hæretici, Illuminati nuncupati, in principio hujus sæculi execrabantur, asserentes inter cæteros errores, quos profitebantur, Virtuti, saluque adversari elegantem ornatum in Ecclesiis, ac propterea ab eo esse abstinentium, ut notat Gualter. cap. 28. sæculo 17. & Salettes de S. Inquisit. lib. 3. Regula 325. num. 488. idcirco in præsentem agendum est de ipsis ornamentis tum Ecclesie, tum Altaris, quæ quidem ad quatuor capita rediguntur; alia enim sunt ornamenta Ecclesiastica, alia Regalia, alia Moralia, & alia Legalia; de quibus breviter quæ potiora sunt, referemus.

Ornamenta Ecclesiastica sunt, quæ à Rubricis Missalis præparari jubentur in Ecclesia, & in Altari pro